

sib. Actis Phil. Angl. Mens. Febr. Anni 1663. pag. m. 116.) Generaliter inquit, Tempestate constante & serenâ, tam brumali, quam æstivâ, mercurius est altior, quam paulo post, & ante, vel tempestate pluviosâ. Rursum generaliter depressior est post pluviam quam ante, generaliter etiam cadit tempestate procellosâ. Rursum generaliter altior est ventis Euro, & Boreâ flantibus, (ceteris paribus) quam Zephyro & Austro. Tempestate quoque spissè nebulosâ altior est.

§. XII. Causas harum mercurii variationum aliâ in Epistola exposuit, quæ in iisdem Actis Mens. Martio An. 1663. p. m. 117. recensentur; Verba sunt hæc: Tempestate spissè nebulosa comperio mercurium meum elevari, quod tribuo gravitati vaporum in aere. Nec unquam altiorem deprehendi, quam tempestate ista nebulosâ, cujus supra mentio facta. Tempestate serenâ sole lucente etiam elevatur, (& communiter eò magis, quò cælum est clarius) quod arbitror imputandum partim vaporibus à sole exhalatis, & reddentibus aërem graviorem, partim calori, augenti vim elasticam aëris, hoc ultimum eo potius additum velim, quia quandoq; observavi, cum tempestate serenâ, obducta cælo nubes horam unam duasve condidere solem, mercurium subsedisse, mox, resolutis nubibus, reddito fulgore soli, ascendisse ut ante. Tempestate pluviosâ soles subsidere, cujus rei ratio obvia est, quia, quanto pluvia effunditur, tanto aër levatur; Tempestate ventosâ comperi subsidere, idq; universalius ac distinctius, quam tempestate pluviosâ, (quod adscribo ventis, aërem collateraliter moventibus, & eo ipso prohibentibus nimiam directam depressionem, quemadmodum videmus accidere in natando) neque verò ego deprehendi mercurium depressiorem, quam vento vehementiore. Cur verò spirantibus ventis frigidis, Euro scil. & Boreâ, mercurius altius tollatur, quam cum calidi, Zephyrus & Auster aërem perflant, hanc dat rationem Nebemias Grew, Med. D. 119

ANALOG.